Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1275
Quelle:
Copyright:

vacensem non putem eluctatum, et defunctum *Romae* a. 1230. tradit *Albericus* in *Chron.* p. 538. cum elogio. Alii Literatores mire silent de Viro cum *Petro Lombardo* doctrinae profunditate et soliditate comparando.

DLXV.

R. 923 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 178. f. per duas columnas nitidissime licet multis vocum compendiis exaratus, colore rubro viridique varius, et quondam Collegii S. J. *Viennae* ita praescribitur: *Incipit summa magistri Gillelmi altissiodorensis.* Corpus hoc theologicum *Libros IV. Sententiarum Petri Lombardi* sequens incipit: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Sicut enim uera dilectione diligitur deus propter seipsum* &c. Objacet mihi ejus Editio *Parisina*, ut ad Codicem praecedentem jam commemoravi, e qua comperio, deperisse e Codice nostro Membranas a *Libri III. Tract. ult. Capituli de Judiciis* verbis: *Solutio. Non est simile propter duas causas. Una est* — —. De Autore ulterius monendum, confundi eum a *Miraeo*, *Oudino*, *Caveo* cum *Guilelmo de Speliniaco*, *Seligniaco*, *Scilligniaco*, *Galliae christ.* Autoribus *Signilliaco* (Seignelay?) qui a. 1207. creatus Episcopus *Autissiodorensis*, et a. 1220. ad *Parisinam* sedem traductus obiit a. 1223. ut videre est *Galliae christ.* T. XII. *col.* 300. et VII. *col.* 90. Nihil is scripsit. Noster vero *Guilelmus*, ut jam dixi, ultra Archidiaconatum *Bellovacensem* eluctatus non videtur. Optime rem expedivit *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. VII. edit. *Mans.* p. 139. *Caveus* duplici titulo *Commentarii in 4. Libros Sententiarum*, et *Summae Theologicae* deceptus credi potest; de uno enim eodemque Libro agi suadet Editio, quam adfert, *Parisina* 1500. f. Vide *Vol. II. Basil.* 1745. p. 281. f. Alterius quoque *Guilelmi*, seu *Wilhelmi Summa* supra Cod. DLXIII. occurrit.

DLXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3144
XIII. sed a *fol.* 121. tardius subpletus, Folior. 151. 8. nitide scriptus, rubricis distinctus et olim *Fratrum Cartusien. prope Pragam*, inscribitur *Wilhelmus de fide et legibus.* Est is alias *Guilelmus Arvernus* Ep. *Parisinus* ab a. 1228. ad a. 1249. cujus *Opera omnia Parisiis II. Tomis* impressa extant a. 1674. f. Ibi chorum ducit Tractatus noster, quem e collatione in Codice nostro integrum reperimus. Prologus incipit: *In ordine sapientialium divinaliumque scientiarum istam diuini cultus uereque religionis scientiam* &c. Lectio cum Editis bene conspirat. Transsiliit tamen Librarius mox sub principium totam περικοπην: *Manifestum est huius — felicitatem eternam*, ubi observo, lapsum Scriptoribus familiarem, quando binae περικοπαι iisdem vocibus terminantur, alteram transcurrere, uti